



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Brisgoiæ, 1665**

8. Bamba ex Societate Iesv Sacerdos in Monasterium deueniens non potest, per se loquendo, udire Monachum, qui eidem confiteri cupit, nisi adsit Prælati consensus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40942**

ritatem, quia Hæreticus, Iudæus, Laicus, nec capacitatem habent, inquit Gomez *cit. quæst. §. sed breuiter.* personæ recipientis titulum, quod secus se habet in Arnulpho Clerico.

VIII. *Bamba sacerdos è Societate IESV ex itinere divertit ad monasterium quoddam, & in hoc pernoctans obseruatur à monacho huius Cœnobij, qui manè nõ petita facultate à Pralato suo venit ad illum Patrem, & confiteri eidem in conclavi suo petit. Queritur. Vtrum Bamba Monachum istum audire & absolvere possit.*

Videtur posse. Quia Paulus III, Pontifex Confessarijs Societatis nostræ facultatem dedit absoluendi quoscunque Christi fideles ad eos vndecunque venientes. &c. Ergo etiam Monachos, aliosque quoscunque Religiosos, vt constat ex compend. priuilegior. *V. Absolutio.*

Resp. Bambam non posse audire, & à peccatis absolvere Monachum huius Monasterij, nisi præsumere possit D. Prælati consensum seu expressum seu tacitum. Ita ex Comuni TT. Palao *Tr. 23. D. vnic. pun. 14. n. 11.* Nam quamuis Societas IESV prædicto priuilegio gaudeat, quia tamen plerisque Ordinibus Religiosis peculiari priuilegio à Sede Apostolica concessum est, vt ipsimet regulares nulli confiteri possint sine Prælati sui seu Superioris consensu, ad eò vt confessio aliter facta nulla & inualida existat, sicuti testatur E-lamas

lamas 1. part. Methodi. c. 7. p. 4. & specialia priuilegia ( qualia sunt ea, quæ ad bonum regimen Ordinis, & obedientiæ tenorem seruandum, peculiariter ipsis concessa sunt ) de rogant generalibus, è quorum numero censeri debet priuilegium Societati concessum ad audiendos quoscunque fideles, idcirco à concessione ista excipiendi sunt Religiosi aliorum Ordinum, quos regulariter nostri Patres absolueri non possunt, nisi à suis Superioribus licentiam habuerint. Dixi *regulariter*; quodcumque enim Religiosus ex Superioris sui licentia iter facit, Abbas censetur ipsi permittere, vt, quando ex consuetudine vel præcepto confitendi aut communicandi tempus adest, extra Monasterium suum cuius Sacerdoti idoneo etiam non approbato ab Episcopo confiteri possit, eò qui Tridentinum *sess. 27. can. 15.* Episcopi approbationem non requirat in Confessario Regularium, sed tantum sæcularium & sacerdotum; quamquam in his attendendæ sint consuetudines & ordinationes cuiusque Religionis, si enim in quibusdam consuetudine vel constitutione introductum sit, vt Regularibus suis non liceat confiteri ( excepto necessitatis casu ) nisi expositis in suo ordine, id in singulis Monasterijs & Collegijs obseruari oportet, vt rectè Elamas *loc. cit.* vbi insuper hæc duo obseruat. *Primum*, quando duo ex Monasterio mittuntur

tur

tur peregrinatum, tacitè dari facultatem, ut unus alteri confiteri possit, si vel unus vel uterque eorum sit Sacerdos. *Alterum*, quando in Iubilæo vel per Bullam Cruciatam datur generatim facultas fidelibus, confitendi cuius sacerdoti approbato & exposito, tale privilegium non extendere se ad Regulares eorum Ordinum, qui habent speciale privilegium, ut eorundem religiosi confiteri non possint, nisi ei, quem superior ipsis designaverit. Sed potestne Bamba saltem tacitum Prælati consensum in proposito casu præsumere? Resp. Affirmatiuè. Tum ex bono & spirituali profectu, quem in suis vehementer desiderare quilibet Prælatus iure præsumitur. Tum ex raritate casûs, qui perinde se habet, ac si Bamba facultatem petiisset à Prælato audiendi & absoluendi vnum ex Monachis certissimò concedendam.

IX. *Barbara deuota virgo magno desiderio tenetur Sacra Eucharistiæ quotidie sumenda, ideoque assiduis precibus facultatem huius à Confessario impetrare contendit, quam ei tandem concedit; dum autem Barbara hæc facultate utitur, & quotidie communicare cernitur, varia ex eo hominum iudicia & sermones oriuntur, alijs id laudantibus, vituperantibus alijs. Queritur. Rectène Confessarius Barbaræ quotidianam Communionem concedat?*

Videtur bene concedere. Ita Ioannes Sancierus